



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Plures, quàm quinque, exteriores sensus non esse. cap. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

eta, hancq. omnino partem postulabat. Propter intellectum autem; quatenus considerationem hanc vidit non parum prodesse; immo summo opere ad intellectum cognoscendum atq. a sensu separandum, necessarium esse. Propterea enim tum considerationem vtrajq. copulavit atq. vno libro coplecti voluit: tum de sensu prius dixit, vt superior tractationem continuaret, & inchoatam absolueret, ac demum viam sibi & aditum ad intellectum cognitionem pararet. Tandem de motrice quoque facultate loquitur.

Verum antequam hac aggrediatur, principio statim disputat; Num alius sit exterior sensus, propter illos quinque de quibus in superiori libro differuit.

Ad quam disputationem hae illi causae impulerunt: Primum, vt hunc librum cum superiori coniungeret: B

Nullumque fuisse praetermissum exteriorem sensum antea ostenderet, quam ad interiores accederet.

Deinde vt ita ad hosce sensus faceret sibi gradum; absolutam esse exteriorum explicationem demon-

strans, quod praeter illos quinque alius superstit nullus. Tum vero quod scitu dignum problema esset atq.

ad sensuum cognitionem spectans, nequa alibi com-

modius explicandum. Ad extremum (quod Philopono quoque placuit) vt inde mox comunis sensus, quo

propria singulorum exteriorum sensilia diuidicentur, necessitatem colligeret. Nam vbi probatum fue-

rit, praeter illos quinque particularem alium sensum non esse; si hi cognoscere simul haec omnia obiecta

non possunt; consequens erit, cognitionem eam ad

interiorem alium sensum pertinere. Quod vero ha-

bet Simplicius hoc idcirco disputari, vt quasi indu-

ctione intellectus a sensu discrimine considerato

nullum sensum non consideratum fuisse demonstr-

etur: videri sane potest probabile. At illud nequa-

quam; Hoc vile esse ad probandum, vnumquemq.

sensuum operationem suam percipere. Quoniam

hic proprius fuit Simplicij error, de quo post dicen-

dum erit. Nunc enim ad Aristotelis interpretationem accedere oportet.

FLVRES, QVAM QVINQVE

exterioris sensus non esse.

CAPVT I.

TEXTVS.

Οτι αν ειεν αιδ νοσι τετρα ταυ παρ' αυτην (αταυ δ' ταυ ταυ αταυ, οστροσι, γωσται, αταυ) ον αν δ' η ποδισεν αν ταυ, ει εταυ παταυ ου εταυ αιδ νοσι αταυ η ταυ εταυ αιδ νοσι (παταυ ταυ ταυ αταυ η αταυ παταυ, η αταυ η ταυ αιδ νοσι εταυ) αταυ η ταυ εταυ εταυ ταυ αιδ νοσι, η αταυ ταυ η ταυ η ταυ η ταυ.

Quod autem non sit alius sensus praeter quinque (dico autem hos, aspectum, auditum, odoratum, gustatum, tactum) ex his quibusdam credat. Si enim cuiusvis, cuius est sensus tactus, et nunc sensum habemus (omnes namque tactus, quatenus tactile est, affectiones tactu nobis sensiles sunt) necesse etiam (siquidem sensu quibusdam deest) sensorium aliquod nobis deesse.

COMMENTARIVS I.

Ut de sensibus huius potissimum dubitari possit, num plures sint; quam de vegetantis animae partis facultatibus; ea fortasse fuerit causa, quod vegetantes facultates vnitae magis sunt atq. in viuicibus penè omnibus, tum animalibus, tum plantis, omnes simul certantur. Omnia quippe nutriuntur

& argentur; vixque vllum reperias, quod simile sibi non gignat. At in sensibus, cum in animalibus quibusdam solus tactus aut etià obiectus gustatus quispian; in alijs hic quoq. magis clarus; in alijs demum omnes simul oblerentur: in varietate plurima non immeritò quis dubitauerit.

Quo igitur modo quinarium numerum probat; inductione probari non potuisse inquit Simplicius, non quod ea, vt Philopono visum est, necessarium concludendi vim non habeat. Habet enim si particularia omnia commemorantur, vt in 2. de priori analyti lib. cap. 29. cognoscitur. Sed quod plures animalium species ignota nobis sunt: immo plures ignota; quae cognita. Verum ratione vtitur, quae partim ex cognoscendis obiectis ducitur; partim ex sensorijs, quibus anima vtitur, partim ex medijs, per quae operatur sensus. Potuisset & ex actionibus, quibus facultates proximè definiuntur ac distinguuntur, & verò etiam tanquam ex effectu cognoscitur, argumentari. Sed cum harum ipsarum natura & distinctio ex obiectis hauriatur, ex his solis ratiocinari voluit. Facultates omnes à natura institutae sunt propter obiecta & sensus propter sensilia cognoscenda animalibus tribui. At sensilia quinq. duntaxat genera sunt; eaq. omnia memoratis quinque sensibus comprehenduntur. Neq. igitur esse potest alius praeter illos sensus. Ratiocinatio haec non solum principio illo nititur; Natura nihil facit frustra: Frustra autem esset alius sensus; si quinque huius sensilia omnia cognoscitur. Verum multò magis illo, quod in tex. 33. lib. 2. positum est; Facultates sunt propter obiecta, per eaque constituuntur & distinguuntur. Quare ex intima ipsorum sensuum natura petitur: nec plures modò ostendit non esse frustratè futuros; sed omnino esse non posse.

Potissimum autem ex omnibus sensibus tactum nominauit, quod de eo praesertim in 2. lib. disputasset; Num vnus sit sensus an plures; Numq. vnico tactilia omnia percipi possit. Quare dū hoc loco nò minus tactilia cuncta illo vnico tactu, qui simul cū quatuor reliquis sensibus quinarium absoluit numerum, comprehendere nos affirmat, quam sensibus ceteris sensilia reliqua; apertis verbis antecedentem illam disputationem terminare videtur, vnicumque esse tactilium, omnium tactum respondere. Quod de speciei, non generis, vnitae intelligas. Quoniam de hac est sermo: eaq. est tum ceterorum sensuum, tum ipsi obiecti tactilis vnitae. Neq. enim si tactile non minus, quam alpectabile aut audibile, vnū specie est obiectū formale; dici potest vnā specie facultatem minus, quam illa, constituere. Propterea Philosophi opinor, cum omnes tactilis affectiones tactu sentiri diceret, addidisse (quatenus tactile est) vt quoniam ex multiplici qualitatū, contrarietate aduersus vnitatem tactus disputaret, vnū formale obiectū significaret, ex quo vna circa multiplex materiale obiectū facultas constitueretur. Immo Themistius argumentationem hanc vniuersam eò retulisse videtur, vt quoniam ex disputatione illa de tactus multitudine colligi videbatur plures, quam quinq. esse sensus; ostendatur non ita esse: quoniam plura tactilia vnico sensu continentur.

Tactum etiam ex omnibus sensibus nominauit, quod infimus is omnium sit & imperfectissimus. Vt ita quasi à minori ad maius argumentaretur si tactus, qui omnium imperfectissimus est, vnus cum sit, tactilia omnia comprehendit; multò magis alpectabilia, singulisque reliqui obiecta sua tota

T T T

Quoniam dicitur quinarium numerus probatur.

Primum esse rationem.

Cur de sensibus...

Cur de sensibus...

cognoscere. Et ideo hypothetica oratione usus est (si tactus tactilia omnia sentit) ut inde colligeretur, multo magis sua queque obiecta potiores reliquos sensus comprehendere. Tum demum quoniam ex posteriori de ortu & interitu libro manifestum erat, tactiles omnes qualitates ad principes quatuor reuocari, quas à nobis omnes sentiri certum est. Nequid dubium facultatem principum illarum cognitricem eas etiam cognoscere, quæ ex illis oriuntur, modo tactiles sunt. Sicut aspectus, qui cognoscit lumen, colores quoque, qui luminis participes sunt comprehendit.

Hæc est prima Aristotelis ratio ex obiecto ducta. Sanè omnium optima maximèq. necessaria. Quam non parùm miror ab interpretibus præsertim Grecis & Auerroë aut obseruatam hoc loco non fuisse, aut certè minus perpèsam. Nam etsi post in tex. 132. illius mentio est apud Themistii, Simplicii, Auerroë, Alberti & S. Thomam: si tamen Themistius priora illa verba, quibus hæc argumentatio continetur, aliò proflus reculit. Simplicius ex animæ nostre perfectione, quæ in nobis de mortua nõ est, aut minus ad sensilia omnia percipienda efficax, ratiocinari Philosophum credit. Reliqui autem fere voluerunt esse quasi antecedens ratiocinationis illius, quæ posteriori huius orationis contextu ex sensorijs organiq. deducitur, quàmq. alteram ego esse nõ dubito à priore diuersam. Si quis nobis deesse sensus, neq. memoratis illis quinque, sensilia omnia cognoscerentur, sensorium quoque deesse aliquo dicit sensorium nullum deesse, igitur nec vllus abest sensus, sed perfectò quinario illo numero sensus omnis absoluitur.

Simplicius tamen Aristotelem opinatus absolutionem probationem fecisse, si aliquis, inquit, deest nobis sensus, aut id oritur ex defectu animæ, quòd imbecillitas & demortua facta sit vita, ut sensibus omnibus potiri nequeat, aut ex corporis defectu, quòd organo quoque primariu sit. Atqui omnia in nobis est perfectissima, vitæq. viuacissima, si que sit in mortalibus: anima inquam & vita non rationalis modo & intelligens, quæ omnium suprema est: sed vel ipsa sentiens, quæ cum motum habet de loco ad locum, non secundum partem, ut ostra, sed secundum totum: eumq. non incertum & vagum, quemadmodum vermes & pulices, sed certum, constantem, atq. ad omnes loci differentias planè perfectissimum. Tum verò cum intelligente coniuncta est & cum ea coaluit, eiq. parere & obsequi apta est: vnde non leuem cõsequuta est perfectionem, immò maximam ad omnes sensus exequendos vim & efficacitatem. Quare si hominis vita omnium optima quinque solum fruitur sensibus, nullus planè alijs est nec etiam potest sensus.

Argumentum hoc etsi quibusdam mihi necessarium visum sit, magnam tamen ego vim probandi habere iudico, cum ex perfectione forme petatur, quæ tum facultatum, tum operationum principium existit. Scimusq. perfectiorem formam facultatum perfectiorum principium esse: ac rursum ubi ea infirmum, quæ superiores sunt & perfectiores, inferiores quoque & imperfectiores inesse. Quæ ob causam Themistius textum enarrans 132. necessarium planè argumentum iudicauit. Et hoc loco Philoponus rationem hanc vnicam omnibus Aristotelis argumentationibus anteposuit: iureq. optimo tertiam eam licebit ponere ad id, quòd nunc quaritur, ostendendum. Tamen si Aristotelem ea vti non reperio. Nisi hanc ob causam non vniuersè de omnibus animalibus, sed speciatim de nobis, hoc est de perfectissi-

Amis optimamq. anima præditis loquutus hoc loco sit. Verum fortasse (nobis) dixit, hoc est perfectis omnibus animalibus, in quibus sensus omnes inueniuntur. Quedam enim alia reperias, quæ sensus quosdam habent sine alijs. Et quamuis ex eo etiam possit ratiocinatum sit, quòd in animalibus perfectioribus sensus omnes inueniuntur, id tamen nõ ex animæ perfectione colligit, sed ex eo, quòd omnia illis sensoria adhibita sunt.

Ceterum ad argumentationem ex sensorijs tactam redeundum est. Quam dum ego perperam interpretes copiosos video, ut ex duabus vniuersarum nem conficiant, verborum Aristotelis sensum modo modo inueterere ac turbare. Priora enim illa, quibus tactu dicimur tactilia omnia sentire, tanquam antecedens ad subsequentem argumentationem est, ut Auerroës. Dimidiatam assumptionis probationem Philoponus: qua interrupta tanquam obiecta anteposita proponitur: tum verò inchoata probationem soluat. Quæ in re quanto per Philoponum orationem turbat & obcurat: Plurimum autem accipit, dum verbis illis (si cuiusvis, cuius est sensus tactus, &c.) significari vult inesse in nobis sensorium, quòd medio non vtatur. Non enim tam longo verborum circuitu fuisse usus, ut id diceret: neq. aliud ea verba sonant: sed nos tactu, quem habemus, tactilia omnia comprehendere. Vt quiuis inde deduceret, alii tacta tactilia sensum non esse; eodemq. modo non esse sensilia reliqua. Deinde dum propositione verborum illis interposita (necesse est, si sensus qui primam dicit, & sensorium aliquod deesse) tandem in sequentem probationem illam acie absoluti; repente eo, quòd principio fuerat dictum, nos habere sensorium, quòd medio non vtatur; additòq. sensorio, quòd per modum sentiat; ut ita nullam nobis deesse sensorium ostendatur. Frustra & inceptè Philosophum facit eandem rem paucissimis verbis repetentem, non alio, quam inuoluntè & obscurè orationis, fructuque aperta & explicata facere potuisset. Denique S. Thomas parùm etiam accomodatè & oratione perturbat, & primis verbis de organo sermone efficit: Probaturq. animal, quòd aliquid sensus organum habet, sensilia omnia sentire, quæ illo sensu quæsi argumento tactus, quò tactilia omnia sentimus. Et enim nulloquam organu, sed solus sensus, hoc est, cultas verbis illis nominatur. Quòd si dicit, ut dicitur argumentatione separatur, & probandi vis ereditur, & apertissima est & maximè plana ratio. Primus vt dicitur verbis ex obiectis sensilibus probatione ducta. Deinde subiuncta altera, quæ ex sensorijs petatur, quæ verbis (Necesse est, si quid est sensus qui primam dicit, & sensorium aliquod deesse). Hæc enim propositio est; cui subiungenda est assumptio (at sensorium nullum deest.)

Prior illa propositio absq. probatione accipitur, tanquam nota. Sed tribus in odios ostenditur à Philopono. Primum quia sensus & sensorium correlata sunt. Deinde quoniam sensus est, quòd vtitur; sensorium, quòd vtitur: frustra q. alteru sine altero esset. Deniq. quia sensus nunquam immediatè, sed per sensorium sentit sensilia obiecta suscipit: quare ubi sensorium est sensus, ubi sensorio quoque opus est. Quæ rationes probabiles sunt. Ille magis necessarè adhiberi poterit. Tum quòd sensus organica facultas sit. Tum quòd vt singulos nobis cognitos, propterea quòd diuersam habent operationem, diuersumq. ab obiecto motu, manifestu est singula sibi propria habere organa: ita in alijs quoque oportere esse, si alij preter illos essent. Et hæc quæ idem est propositionis confirmatio

De assumptione vero in sequenti commentario dicendum est. Verum antea non inegantem aliam verborum hactenus explicatorum interpretationem subiiciam : qua proposita argumentationes ambae ad vnam in duas diuisam ita reuocantur. Si quis alius est sensus praeter quinque omnibus notos, aut is eiusdem cum illis est rationis, aut diuersa. Non eiusdem, quoniam sensibus hisce nobis notis sensilia omnia comprehendimus, aliusque quiuis esset superuacaneus. Neque diuersa, quia si is deesset nobis, illius quoque sensorium deesset : at qui sensorium nullum deest : neque igitur sensus vllus. Ceterum eodem modo, quo antea, probandum superest sensorium nullum deesse.

TEXTVS.

καὶ οὕτως ἴσθ' αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀποδεικνύσθαι, ὅτι ἀπὸ αἰσθητικῶν  
 ἴσθ' ἡμῶν, ὡς καὶ τὸ αἴθερ, ὅτι αἰσθητικὸν ἐστὶν ἡμῶν, ὡς καὶ αὐτὸ  
 ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀποδεικνύσθαι. καὶ ἴσθ' αὐτὸν ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀποδεικνύσθαι.

Et quaecumque quidem ipsi tangentes sentiunt, tamquam quem habemus, sensus sunt. Quaecumque vero per media, & non ipsa tangentes, simplicibus interualis. Sic in aqua, & aqua.

COMMENTARIVS II.

Non solum pauca haec verba, sed integrum contextum, cuius ea principium sunt, retulit Sanctus Thomas ad id explicandum, quod ipse argumentationis superioris propositionem esse voluit: Quod habet aliquod organum sensus, id omnia ea sensilia cognoscit, quae per illud organum sentiri possunt. Explicari autem exemplis & inductione: tum eorum, quae sine externo medio, tum eorum, quae per medium sentiuntur. Philoponus ad assumptionem confirmandam, ostendendumque nullum nobis deesse sensorium: quia ex aere solum & aqua atque ex terra permissa fieri sensoria possunt. Auctores demum primam instituit rationem ad probandum non esse plures sensus, eamque ex medijs desumptam. Quod probabilissimum omnium mihi videtur. Nam et si duas in superiori contextu rationes significauit, vna ex obiectis, altera ex organis: neutram tamen explicabit, sed explicabit deinceps: eam praesertim, quae est ex organis: quoniam haec explicari non poterat, nisi antea de medijs fuisset sermo. Neque simplicium discrepantem reperio, dum probari ait, nec sensorium deesse, nec sensum. Per se enim ex medijs probatur non deesse sensum; deinde etiam nec sensorium, quatenus probatio altera: ex sensorijs ducta pendet ex hac, quae est ex medijs.

Sic igitur argumentatur. Duo sunt sentiendi modi, aut tangendo obiectum, aut externo quopiam corpore intercepto. Vel si mauis, omnem sensum fieri per aliquod medium antea declaratum est. Iam medium aut externum est aut internum; omni scilicet alio remoto externo corpore. Hoc enim est, quod ait (quaecumque tangentes sentiunt) quodnam id non significat sensum tactus ab alijs distinctum, sed sentiendi modum tactui gustatuique, communem; quo hi duo sensus a tribus ceteris distinguuntur, qui non vt illi tangentes obiecta extremis, quae sensorij & organa simul possitis; sed alio quopiam

corpore interiecto, quasi interuallo inter ea facto, procul distita obiecta persentiant. Quare dum quaecumque tangentes sentiunt, tactu, quem habemus, sentiri dicuntur; tactus nominatur, quatenus gustatum quoque, qui tactus quidam est, comprehendit. Medium internum non posse esse aerem neque aquam, ratio illa persuasit in rex. iii. lib. 2. Quia cum sit pars animati corporis, quod solidum esse oportet, solidum quidpiam & consistens esse debet. Multo minus erit ignis. Tum propter eandem rationem. Tum vero etiam quoniam is agit potius & mouet, quam patitur & moueatur, alterius actionem transmittat. Medij autem functio non agere, sed pati, non mouere, sed alterius motionem suscipere atque ad sensum traducere est. Immo ignis facillimus cum sit & vehementissimus ad agendum, positus supra sensum aliorum omnium sensationem prohiberet. Adde etiam corrumpendi & perdendi nimiam vim habet. Sola superest ex simplicibus corporibus terra (caeleste siquidem corpus nihil ad rem.) Ea sane solida est & consistens. Sed quominus sola & simplex possit esse medium, illud facit: non quod immobilis prorsus sit, vt ait Simplicius. Quoniam et si locali motu videatur immobilis; alteratione tamen, quae ad hos sensus, qui interno vtuntur medio, magis pertinet, non item. Sed quod crassum nimis & materiale corpus atque ad motus & inpressiones obiectorum admittendas & reddendas difficilis prorsus existat, Medium vero facile sit & promptum ad omnem motum oportet. Si igitur ea futura sit medium; permixta fuerit & cum reliquis corporibus temperata. Sic enim permouebitur facile atque obiectorum redundantias suscipiet & reddet. Atque hoc est illius sensus medium, quod tangendo operatur. Medium autem externum non erit, nisi duplex elementum, aer & aqua; in quibus versamur & viuimus. Aut si quod sit corpus mixtum; eatenus erit, quatenus horum simplicium alterum in eo abundat. Haec sunt in aera & aqua, simplicia spatia seu interualla, quae Philosophus dixit: nempe simplicia haec corpora, quae velut spatium quoddam & interuallum inter obiectum & sensorium interponuntur. Et ipse aerem & aquam nominauit. Non tamen absolute & vt aerem & aquam. Quoniam, inquit Simplicius, non ea sola, sed similia quoque nonnulla sunt medium: vt fax, quae est velut aer; & mixta quaedam, in quibus eorum elementorum alterum abundat, vt oleum, vinum, nebula. Haec externa corpora reliquorum sensuum, qui non tangendo fiunt, medium existunt. Nam et si ea quatenus eiusmodi sunt & secundum suam naturam, non nisi vnus aut certe duorum, vt ipsa duo sunt, sensuum medium esse possint: Quatenus tamen aut *διὰ τῶν* sunt, aut *διὰ τῶν* aut *διὰ τῶν*, tribus sensibus, aspectui, auditui, odoratiui, famulantur: eandemque ob causam, propter communem scilicet naturae conditionem, eodem sensui ambo inferuiunt. Atqui praeter haec corpora nec sunt nec possunt esse alia, quae sentiendi medium existant. Neque haec ipsa pluribus modis, quam ijs, qui dicti sunt, cogitari possunt esse media: Aer & aqua media sunt externa, quatenus *διὰ τῶν*, *διὰ τῶν*, & *διὰ τῶν*; & terra medium internum, quatenus ita temperata, vt caro aut simile quidpiam sit. Neque igitur plures sunt nec possunt esse sensus, quam ij quinque, qui per haec media nunc in animalibus operantur.



TEXTVS.

Εἴ τι οὐτως· ἀστὲ εἰ ἰσὺ δὲ εἰδὸς πλείω ἢ ἀσθητὰ ἔπειτα δι-  
νήλων ὄντα πῶ γίνεσθαι. ἀσθητὰ πῶ ἔχοντα τὸ ἰσῆτον αἰσθητικῶν  
αἰσθητικῶν αἰσθητικῶν ἔστι· εἰ δὲ αἰσθητὸν ἔστι τὸ αἰσθητικῶν καὶ ἔστι  
ὁ αἰσθητικὸς ἢ ἡ ψυχὴ εἰ δὲ πλείω τὸ αἰσθητὸν ἢ ἡ ψυχὴ ἢ ἡ ἀψυχή·  
ἢ ἡ ψυχή (ἀμφοτέρωθεν ἀσθητὰ) καὶ ὁ τὸ ἔσθῃ αὐτῶν ἔχει μόνον αἰ-  
σθητικῶν τὸ δὲ αἰσθητὸν.

Res autem ita habet: ut siquidem per unum plura  
inter se genere diversa sensibilia sint, necesse sit eum, qui  
huiusmodi sensorium habet, utriusque sensivum esse.  
Quemadmodum si ex aere sensorium est, & est aer tum  
soni tum coloris: si verò plura eiusdem, ut coloris & aer  
& aqua (ambo enim perspicua) & qui eorum alterum  
solum habet, quòd per utrumque sentiet.

COMMENTARIUS III.

Verè à Philopono dictum est, maximam ijs ha-  
bendam esse gratiam, qui horum verborum  
sententiam primi diuinarunt. Nam et si consentire  
omnes videantur sententiã esse; Per vnum & idem  
medium plures sensus operari posse pluraque obie-  
cta sentire. Quorum tamen hoc doceatur, nò item  
consentiunt. Quæro es ex superiori argumentatio-  
ne, quæ sensus omnes positum est aut per carnem,  
aut per aërem aut aquam operari, deduci creditur,  
omne animal, quòd aliquod ex his medijs habuerit,  
ea omnia sensibilia cognoscere, quæ per illud mediũ  
cognosci possunt, siue vnum, siue plura genere di-  
uersa sint. Vt ita ostenderet, tum determinatum nu-  
merum sensuum numero sensibilium & mediõrum,  
tum totidem in aquatilibus animalibus, quot in ter-  
restribus & aëris inesse sensus. Alij, qui de sensorijs  
antea fuisse sermonem existimarunt, hæc Empedo-  
cli responderi maluerunt, quasi afferenti simile simili  
cognosci, vt in tex. 51. lib. 2. significatũ est. Et idẽd sic-  
citant, si ex igne & terra per se fieri sensoria ne-  
queunt, quomodo hæc corpora sentiuntur à nobis?  
Responderi autem, si per vnum medium sensibilia  
plura cognoscuntur, vt per aërem colores & soni, cur  
non etiam ab vno sensu multa comprehendantur.

Sed verius mea quidem & Philoponi sententia  
duas interpretabimur obiectiones dilui, quæ aduer-  
sus superiorem argumentationem, quam is de organ-  
is explicauit, proponi à quopiam potuissent. Primum  
enim quæsiuisset quispiam, si tria solum sunt media,  
terra permixta, aër, & aqua, cum quinque planè ad sint  
nobis sensus, quomodo pars est sensuum & medio-  
rum vel etiam sensoriorum numerus: aut quomo-  
do nullum sensorium deest? Deinde dixisset, colores  
tum per aërem, tum per aquam sentiuntur, nec in  
diuersis modo animalibus, à terrestribus & volucris  
per aërem, à piscibus per aquam, verum ab iisdem  
quoque, vt à nobis ipsis: eiusdem igitur sensus duo  
sunt media, neque idem est mediõrum sensorio-  
rumque & sensuum numerus.

Quamquam dum nullam ego dubitationis men-  
tionem factam video, & illud orationis exordium  
lego (εἴ τι οὐτως, Res autem ita habet) explicari po-  
tius opinor id, quòd dictum fuerat, quàm dubitatio-  
nem vllam aut dubitationis dilationem significari.  
Tamen si rei cuiusvis dubiæ & obscuræ interpreta-  
tione multiplicis semper dubitationis explicatio ta-

A citè inuoluatur. Obscurum erat, quemadmodum  
comemoratis tribus medijs quinque sensus collatum  
tur. Propterea hoc exponens rem ita habere volu-  
git, vt intelligere nos oporteat per vnum & idem me-  
diũ plura vel etiam diuersa sensibilia esse  
obiecta sentiri posse. Per aërem enim aut aquam co-  
lores sentiuntur, soni, odores; perque terram me-  
diũ qualitates tactiles & sapores. Quare diuersa  
genere sensibilia dixit, vt ad rem Simplicius adno-  
tuit, quæ ad diuersos pertinent sensus; quæque di-  
uersa sunt non solum genere qualitatũ naturarũ sed  
genere quoque sensibilibus, vt sonus & color, quoniam  
alter audibilis est, alter aspectabilis.

Neque sat scio, cur colorem Philoponus prole-  
re dixerit appellatũ fuisse: nisi ea fuerit causa, quòd  
de sensorijs, non de medijs sermonem esse crederem.  
Idcirco enim aërem intellexit non medium, senso-  
riũ: quòd non aspectus, sed odoratus organum  
aëris esse intelligeret, aspectus autem aque, immo  
naribus non minus, quàm auribus, intrum esse le-  
uè aspicitur aërem, idem ipse antea affirmauerat.  
At nò est, quòd Aristotelis orationem tam obtrusa-  
sam & inconsideratã faciãmus. Quoniam licet particu-  
la (per) & medium & instrumentum, hoc est senso-  
riũ, suauiter significare possit, & alijs in locis sig-  
ficet: nunc tamen de medio accipiendam eam esse  
antecedens sermo testatur. Quò Philoponus tamen  
quædam nos dixit sentire tangentes, alia per inter-  
iecta media aërem aut aquam: tum verò non est sensu-  
rijs, sed ex medijs ratiocinatus est eorum numerum  
sensuum numerum inuestigando. Quæ ratiocinatio  
si præfenti oratione magis explicetur, de ipsiũ  
mirum medijs intelligatur oportet.

Sic igitur res habet: vt si per vnum medium  
sint plura vel etiam genere diuersa sentiri; id quo-  
que quòd huiusmodi sensorium habeat (hoc est senso-  
riũ huius sensus, qui per illud medium sentire  
potest: aut sensorium huiusmodi, quòd medio  
cognatum sit, & siue qualitate siue natura pertinet  
le) aptum sit utrumque sentire. Quemadmodum  
ex aëre sensorium est, hoc est aëri medio cognatum.  
Quòd cum duobus modis, vt dixi, esse possit, ut  
significaret utrumque soni potius & coloris, quàm  
coloris; auditus inquam & aspectus exemplum po-  
fuit. Nam auditus quidem organum, quòd intrum  
continet aërem, natura ex aëre est. Aspectus autem  
natura ex aqua, qualitate ex aëre quoque: quoniam  
perspicuitas aëri & aquæ communis est. Quare ver-  
borum illorum (quemadmodum si ex aëre senso-  
riũ est, & est aër, tum soni, tum coloris) ordo  
mutandus est; vt superioribus exemplum respondeat;  
hoc intellectu: Quoniam per aërem, tum sonus,  
tum color, plura sensibilia genere diuersa sentiri  
sunt; sentiri quoque debent per sensorium, quòd  
aëri cognatum sit. Sed si obiectum sit vnius gene-  
ris, vnicum erit sensorium, vnicò modo cognatum  
medio, aut natura, aut qualitate. Sin autem ob-  
iecta sint plura genere, plura quoque erunt sensibilia  
obiecta illis & eorum sensibus respondentia. Om-  
nia tamen vnicò illi medio cognata; siue natura, vt  
audiendi sensorium; siue qualitate, vt aspectus  
etiam odoratus organa.

Ita profectò nullum nobis sensorium deest, par-  
que sensuum est sensoriorum & mediõrum nume-  
rus. Quia dum plura generèque diuersa sensibilia  
per idem medium sentiuntur, medium quidem est  
vnum corpus, sed alio atque alio modo diuersa  
obiecta

D. 11. 11.



placibus) non solum ait tanquam oppositū terræ in tactu permittat, quam paulo post nominat. Verum etiam velut accipiens intervalla illa simplicia, quæ in antecedenti ratiocinatione dixerat intercedere; dum per externa media & non tangentes obiecta sentimus.

Ergo medium sensus aut internum est, aut externum. Internum & animali congenitum iam confectum est ex nullo simplici elemento constare posse, sed terram cum alijs permittam esse oportere. Externum verò duplex solum existere, aërem aut aquam. Quoniam hæc sola moventur facile & transmittunt motum: atque cum in his animalia omnia degant, facile illis obvia sunt. Hoc si ita est, ex solis igitur hisce simplicibus, aëre aut aqua, sensoria esse possunt eorum sensuum, qui per externum medium sentiant. Siquidem inter sensorium & medium ea, quam diximus, futura cognatio est, & ipsa quoque sensoria à sensibus omnibus pati ac moveri oportet. Quare cum duo illa corpora tribus modis affecta trium duntaxat sensuum media esse queant, aspectus, auditus, odoratus, non nisi horum trium sensoria absolvent. Absoluant inquam, quoniam vt simplex elementum pars esse nequit aut membrum animati corporis; ita nec integrum sensorium fuerit. Hoc enim animata pars est membrum, sed in eo contineri potest atque ad illius constitutionem quoquo modo concurrere. Propterea non dixit Philosophus duo hæc corpora esse sensoria; sed ex illis duobus sensoria esse. Quomodo autem ex illis sint & quorum sensuum, commemorando exponit.

Quomodo aspectus est aqua, aut visus aeris.

Pupilla enim est aqua. Quoniam si pupillam crystallinum humorem intelligas, qui præcipuum existit videndi organum; is sanè velut congelata aqua tibi esse videbitur. Sin oculum totum; is præter hunc humorem duos alios magis aqueos continet, vitreum, & eum qui ab aqua similitudine aqueus nuncupatur. Auditus verò aeris; quoniam vt in superioribus in tex. 83. traditum est, is inclusus semper atque auribus insitus continetur. Hæc tamen sola nequaquam sunt horum sensuum sensorium. Tum quod nec oculi humor est pura aqua, sed mistum corpus, in quo ea abundat: nec id, quod aure includitur, purum aeris elementum, sed animalis spiritus aeris persimilis. Tum quod oculus & auris, quæ absoluta organa ad operandum idonea sunt alia præterea continent: ille tunicas plures; hæc membranam, qua præcipue sentiuntur soni; & vtrouque adfunt. Et quamvis pupilla maxime videatur crystallinus humor esse; nunc tamen totum potius oculum eam significare credo: sicut etiam in tex. 10. superioris libri, cum oculum tanquam integrum instrumentum operans pupillam esse dixit & aspectum, hoc est corporis organum & animæ facultatem. Immo non tam propter crystallinum, qui proprie pupilla est, quam propter circumiectum humorem aqueum, arbitror oculum dici esse aqua. Nam præter maiorem vocis & naturæ similitudinem re ipsa potest id, quod dicitur, ex humore hoc confirmari. Quippe si oculum pungas & per fores, effluit tibi aqua, non crystallinus, sed aqueus humor. Et certe vtrudis est aeris, non propter membranam, quæ primum est audiendi sensorium, sed propter proximum illi aërem, qui etsi medij vim quandam habeat, dum sonum ab externo aëre suscipit & ad membranam suavius transmittit: pars tamen qua-

Pupilla quid.

dam sensorij censetur, quoniam in eo continetur. Sic æquum est aspectum dicere esse aqua, non tam propter humorem crystallinum, quam propter circumiectum illi aqueum, qui medij item inchoat exequitur, lumen & colorum motum excipientium, deinde ad crystallinum traiciens: sed præterea oculi & integri operantis instrumenti virtus. Et hæc quidem de his sensibus.

Odoratus verò alterius horum esse dicitur, aut aqua. Quod si verum est, nequaquam id facit, sed verum, quod Philoponus tum in commentarijs per se, tum huius libri, tum in expositione tex. 101. lib. 1. superioris, non minus in naribus, quam in auribus, inclusum & inarditum aërem scripsit contineri.

Quoniam de solis auribus id ab Aristotele traditum est; in naribus nusquam agnoscitur. Quod si ita dixerit spiritum persimilem aëri, præterquam quod nullus ibi est perpetuè inclusus, cum is in interpretatione tex. 122. primum sensuum omnium sensorium eum fecerit, non minus, quam odoratus & auditus, ceteri omnes sensus aeris essent. Deinde proprium odorandi sensorium idem ipse interpretatur in commentarijs ad tex. 97. 100. & 116. in processibus mammillaribus agnoui. Quos ego quidem certe non video quentadmodum insitum aërem habere. Verum si ita esset, non alterius horum, sed aeris duntaxat, sicut auditus, diceretur odoratus esse; aqua non item. Propterea vocem hæc (Aeris) cogit.

Philoponus ita interpretari, vtruterum solumque est aërem, significet. At inter auditum & odoratum nihil discriminis assignat Philoponus, si sicut aeris vterque esset. Deinde id reliquus interpretibus aduersatur, qui vtrumque corpus intelligebant. Sicut vt Themistius, Auctores, & S. Thomas, quod animalia quedam odorantur in aëre, quedam in aqua. Sive, vt alij, quod tum terrestrium aquatilibus, per vtrumque medium perfertur odores. Sive, vt Simplicius, vtroque modo. Unde demum, vt ego interpretor, quod hic sensus accipit verferet, & quali vtriusque naturæ particeps, indifferens sit & æque, tum in eodem, tum in diuersis animalium generibus, per aërem & aquam operari possit. Et ideo sensorium quoque habet, quali inter vtrumque medium elementique vtriusque particeps. Nam quod aliqui eius organum dicunt in aquatilibus esse aqua, in ceteris animalibus aeris; parum sapienter pronuntiant. Quoniam vt obiectum idem est, quod ab vtriusque constituitur; eademque facultas, quæ ex obiecto constituitur: ita idem necesse est sensorium esse, quod circa illud obiectum facultas operatur. Aristoteles autem, cum in secundo libro difficultatem eam disputaret, cur animalia quedam respirando, alia sine respiratione odorantur; eorum sententiam, qui diuersum inquebant ea odorandi sensum habere, hoc argumento continentur in textu 99. quod eosdem odores perfertur omnia. Quod si ex diuerso operandi modo non licet illis diuersam facultatem asserere; multo minus ex diuerso medio, vbi eadem facultas est, diuersum organum poni potest. Præsertim quod illud ipsum, quod de diuersis animalibus dicitur, de eodem quoque dicendum esset. Illud inquam modo aëreum, modo aqueum organum habere: quia modo per aërem, modo per aquam odores comprehendit. Odoratus igitur alterius horum est, aut aeris, aut aqua, & per vtrumque



affinis: neque demum in odoratu aer nec aqua, sed quidpiam illi cognatum. Ita cum in omnibus calor quidam veigat, si non igneus, illi certe genere similis & idem, verè omnium communis esse ignis affirmatur.

Cur terra nunc sit sensus.

Cur autem pura & simplex terra nullius sit sensus, duplex est causa. Altera, quod pertinax nimium sit atque ad obiectorum motus suscipiendos difficilis. Quippe quæ nullum ex illis qualitatibus habet, quæ ad lumen, colores, sonos, odores transmittendos opportune sunt. Altera, quod crassissimum elementum ad sensum & cognitionem omnem ineptum prorsus existit. Siquidem animalium eque partes, in quibus illa plus æquo abundat, ut ossa, omni sensu priuantur. Eandemque ob causam nihil sentiunt plantæ, ut est in tex. 124. superioris lib. 2. & tex. 66. huius tertij. Si enim omnis cognitio elevatione quapiam à materia perficitur, & ideò intellectus ad perfectissimè cognoscendum maximè comparatus est, quòd ab omni prorsus materia abiunctus subsistat. Sanè terra, quæ crassissimum & maximè omnium materiale corpus est, ad cognoscendum fuerit ineptissima. Quare etiam cum tenuioribus alijs minutiq. materialibus elementis permisceat, & ad sentiendum quoquo modo reddatur idonea, infimi tamen duntaxat & inter omnes plurimum materialis sensus organum fit soliusque tactus propria est.

Nunc enim nomine tactus gustatus quoque comprehenditur; totiusq. ille sensus significatur, qui tangendo sentit. Ut post sensoria proposita, quæ per medium operantur, integra fiat & absoluta omnium commemoratio; ijs quoq. additis, quæ tangendo & sine medio externo sentiunt. Quapropter immerito causatur Philoponus in medium hoc loco adductum tactum. Non enim solum, ut ille inquit, de ijs sensibus agit, qui per mediū sūt: sed de omnibus; ut omnes probet plures, quàm quinq. esse non posse. Quæ igitur addit, tactus & gustatus sensoria sunt; quia ambo, ut tangendo operantur, ita terre sunt: quòd, cum admodum illis obiecta sint, solida & consistentia esse debent; idq. multa & magis, quàm in sensorijs, perspicua terra permissione. Cum igitur hæc omnia in nobis insint, nullum sanè sensorium deest, neque sensuum numerus augeri potest.

Quod autem tandem concludit, nullum esse sensorium præter aquam & aërem; appositè monet Simplicius non esse ad prædicta omnia referendum: sed ad eos solos sensus, qui per externum operantur medium: non item ad id, quod de tactu dictum est. Is enim ab hac generali propositione quasi exemptus est, cum illius propriam esse terram cum cæteris elementis permixtam traditum est.

TEXTVS.

Ταῦτα δὲ ἔχει ἐν τῷ ζῷῳ. πᾶσι δὲ ἐστὶ ἀσθητικὸς ὁ ὄργανος τῆς ψυχῆς καὶ τῆς αἰσθητικῆς ἐνέργειας. καὶ τὸ αἰσθητικὸν ὄργανον τῆς ψυχῆς ἐστὶν ἡ αἰσθητικὴ ἐνέργεια καὶ τῆς αἰσθητικῆς ἐνέργειας.

Tex. 13. Hac autem & nunc quedam habent animalia. Omnes igitur sensus habentur à non imperfectis neque mutilis. Videtur enim & talpa sub pelle habere oculos.

COMMENTARIUS VI.

Superior argumentatio ex sensorijs deducenda non dum finem habuit. Atque ut tandem concludatur, præstat in pauca totam conferre. Si enim in quiebat, deesset nobis sensus, aliquod rem sensorium deesset: at nullum sensorium deest: manifestum igitur abest sensus. Propositio accepta est in manifesta, propter organicam sensus naturam. Ad probationem argumento mediorum probatur. Omnis sensus per medium, aut externum, aut intermedium sentit: externum aut aer est aut aqua: intermedium terra permixta. Ex aëre & aqua tria colliguntur sensoria: ex terra vnicum, caro: neque plura hic esse possunt. Siquidem præter hæc elementa & ignem sensorijs omnibus communem neq. vilius propriam, alia non supersunt. Propterea nunc totam hanc superioris contextus sententiam tanquam propositionem accipiens assumptionem adiungit; Hæc omnia sensoria in animalibus quibusdam inesse. Et enim vocem illam (Hæc) ad duo tantum simpliciter, aërem & aquam, proximo nominata referat cum Simplicio; ut illud quoque (& nunc) referenda esse significat: quasi diceret, terram permixtam in omnibus vel imperfectissimam esse, manifestum est; quia omnium corpora solida sunt: sed in quibusdam reliqua item duo adsunt perinde tamen sententia omnia habebis. Unde argumentatione totam concludit, omnia in illis sensoria contineri, nec vnum prorsus deesse. Ex quo consequens est, quæ duntaxat esse sensus, neque his plures esse posse.

Hæc animalia ea sunt, quæ perfecta & non mutilata censentur: quæ propterea quedam appellavit, quòd alia quedam imperfecta & mutilata sunt. Miror hoc loco grauissimos interpretes, Theophrastum, Philoponum, & Simplicium, animalia perfecta motu loci definiuisse, motu inquam ordinato. Imperfectaque ea esse voluisse, quæ ut omnino non mouentur, aut certe non ordinatè. Minimèque verum fuisse Philoponum affirmari, motum nobiliorem esse ac meliorem sensu: & ideò quoniam ubi est melius, ibi deterius quoque reperitur, animalia, quæ motum eum habent, sensus item omnes habere. Etenim quod ad hæc animalia verba attinet, non motus, sed sensoriorum duntaxat fieri mentionem video: eaque animalia appellari perfecta, quæ sensoria omnia sensuque omnes habent. Quod perfecti quoque notio confirmatur, quæ ut est in textu sexagesimo tertio, libri tertij Physicor. & textu vigesimo tertio, libri secundij, de Cælo, perfectum id dicitur, cui nihil eorum deest, quæ illi ex natura sua conueniunt. Quod autem ad rem ipsam, si animal sensu, non motu, primum constituitur, quemadmodum legimus in text. 66. superioris libri, perfectum sane animal designandum illud fuerit, quod vi omni & facultate sentendi præditum est. Deinde sensus antecedit, motus sequitur: & ideò perfectò & ordinato motu animalia perfecta mouentur, quia perfecta sentientia nature fruuntur. Et quedam mouentur, alia immobilia sunt, quòd illa sensus omnes habent, nec occurrantur.

occurrentium modò & ipsa tangentium obiecto-  
rum, sed distantium item ac remotorum, quæ  
non nisi motu persequi ac sibi comparare possunt.  
Hæc autem tactum solum & gustatum præsentium  
rerum, quas tangunt, hoc est imperfectissimos dun-  
taxat sensus, qui per internum operantur medium,  
à natura obtinuerunt: Illa omnem prorsus sentien-  
di modum, tum per internum, tum per externum  
medium.

Motum porro affirmare nobiliorem esse sensu,  
rationi prorsus adterfatur. Tum quia sensus facul-  
tas cognoscens est, quæ vniuerso genere melior  
multò est non cognoscente: primisque ac optimis  
substantijs cognitio tribuitur, non motus. Tum  
quia is immediate intellectui famulatur, proximè  
que cum hac diuissimâ facultate coniunctus est.  
Motus simul cum appetitu famulatur sensui; dum  
aut ad ea impellit, aut ab illis remouet ac retrahit,  
sensu cognita & appetitu concupita fuerint vel re-  
pudiata. Sanè sensus prior est motu. At in eodem  
solum, non in diuerso, verum est, id, quod est prius,  
imperfectius esse.

Qui verò solum hominem significari volunt,  
cum omnes sensus dicitur à non imperfectis anima-  
libus possideri; nullo modo audiendi sunt. Quo-  
niam etsi homo perfectissimum sit, non solus ta-  
men perfectum animal est. Neque de propria homi-  
nis perfectione loquendum erat, sed de perfe-  
ctione animalis, vt animal est; hoc est de perfeccio-  
ne sentientis naturæ, quæ sensibus omnibus absol-  
uitur. Hæc verò solius hominis non est, sed alio-  
rum complurium. Immo fortasse, vt illius interpre-  
tationem occasionem tolleret, non dixit (perfe-  
ctis) sed (non imperfectis): vt ea omnia significa-  
ret, quæ cum omnes habeant sensus, imperfectam  
sentientem naturam adeptæ sunt. Atque hoc mo-  
do generalis magis & efficax probatio est; ex ijs de-  
sumpta, quæ animalis & sentientis naturæ quatenus  
eiusmodi est, conueniunt. Quemadmodum im-  
perfecta ea dicuntur, quæ Græci *κατώτερα* nomi-  
nant, quibus nullus inest sensus, nec sensorium vl-  
lim, eorumque quæ per externum mediū operantur, sed  
solum tactus aut gustatus eorumque sensorium. Vt  
quod vox ipsa testatur, inter animalia & plantas  
ambigui & æncipitis generis videantur. Dum sen-  
tiant quidem vt animalia; cumque dilatantur & in  
se ipsa contrahuntur, motum item obscurum ha-  
bent. Immobilia tamen loco sunt, & quasi terræ ac  
scopulis adhærescunt, vt plantæ. Quare motus per-  
fectionis quidem inditium fuerit, at non ipsa perfe-  
ctio. Quæque incedere ac progredi videris, affir-  
mare poteris perfectam habere sentientem natu-  
ram facultatibus suis omnibus præditam, quibus  
tum proxima, tum remota obiecta comprehen-  
dat.

Addit (neque mutilatis). Quod non ad spe-  
ciem vniuersam, vt prior particula; sed ad indi-  
uiduum refertur. Vt cuncta hæc sensoria sensusque  
omnes in animalibus illis inesse intelligas, quæ tum  
specie perfecta, tum indiuiduo non mutilata fue-  
rint; hoc est aut in primo ortu oblatæ, aut post par-  
te corporis quapiam & organo priuata: sed toto  
corpore & partibus membrisque omnibus optimè  
& naturæ suæ congruenter disposita.

Talpam vidit obijci sibi posse, quæ perfectiorū  
animalium genere continetur; nec tamen vno  
aliquo indiuiduo, sed specie tota carere oculis &

aspectu videtur. Tam respondit sensorijs omnibus  
præditam esse. Quippe oculos etiam habet, sed pel-  
le obductos ac tectos; ne dum terram fodit sibi-  
que cuniculos parat, læderentur à terra. Fortasse  
etiam à minoribus ad maius argumento vsus est. Nam  
si talpa, quæ in animalium perfectorum genere im-  
perfecta & mutilata oculis, priuata videtur, oculos  
tamen sub pelle habet: multò magis tum ipsa ha-  
bebit reliqua cæterorum sensuum sensoria, tum  
verò animalia perfectiora sensorijs omnibus &  
sensibus prædita erunt. Cæterum totum hunc lo-  
cum idem ipse Philosophus in cap. 8. lib. 4. de ani-  
malium historia pulchrè interpretatus est. Nam  
cum quinque sensus commemorasset; Homo, in-  
quit, & quæcumque terrestrium animal gignunt;  
atque etiam quæ sanguinem habent & animal pa-  
riunt; omnia hos omnes sensus habere videmus;  
nisi quid læsum sit ac læcessitum: quale talparum  
genus, cui aspectus deest. Non enim oculos in  
aperto id habet. Cute tamen detracta, quæ crassius-  
cula obrenta luminum sedem opacat, oculi intus  
læcessitum imperfectique visuntur. Sed ita, vt eas-  
dem omnes partes habeant, quibus integri oculi  
constant. Habeant enim nigricantem illum orbicu-  
lum, & quod intra eum continetur, quod pupillam  
vocant. Atque etiam albidæ portiois ambitum:  
sed non tam liquidò, quam oculi conspecti & emi-  
nentes. Nec in partem exteriorem hæc apparere  
possunt, propter obductæ cutis corpulentiam:  
quippe cum natura inter procreandum lædatur, at-  
que ita inchoatum opus relinquatur.

Ex quibus verbis quinque omnino intelliguntur.  
Primum, animalia perfecta non solum hominem  
esse, sed alia plurima, quæ sensus omnes habent.  
Deinde talpam item de genere perfectorum, esse,  
sed oblatam animal ac læcessitum. Quam ob cau-  
sam nunc quoque cum perfecta & non mutilata  
animalia dixisset, talpam statim subiunxit, tanquam  
perfectum quidem, sed mutilatum animal. Tum  
verò eam oculos habere, at aspectu non item frui.  
Mox huius rei causam esse ineptitudinem sensorij.  
Inchoatum enim est minimèque absolutum & cras-  
sa obductum pelle, quæ luminis accessum prohi-  
bet. Postremo cuiusmodi oculi illi sint & quibus  
partibus constent. Verum enimvero an talpa quid-  
quam omnino cernat, vniuersèque totum hunc lo-  
cum in quo de sensuum in animalibus distributio-  
ne agitur, operæ pretium fuerint paulo pluribus  
examinare.

DIGRESSIO I.

Quomodo animalibus distribu-  
ti sint sensus.

Quinque sensus, aspectum, auditum, odo-  
ratum, gustatum, & tactum; non inesse om-  
nes in animalibus omnibus certum est. Tactum  
habent cuncta. Primus enim omnium est, quo ani-  
mal primum constituitur, & sine quo aliorum nul-  
lus potest consistere. Gustatum quoque aliquem,  
obscurum saltem & imperfectum: tum propter  
magnam cum tactu cognitionem, quæ is tactus qui-  
dam est, tum propter alimentum animalibus omni-  
bus necessarium, Addidit Aristoteles in tex. 28. su-

Gusta-  
tus ali-  
quis in  
omnibus  
anima-  
libus.